

Ant. iij. toni.  
De-us me-us. DOMINE. Ps. 138. probásti me, et  
cognovísti me : \* tu cognovísti sessi-ónem me-am, et  
resurrecti-ónem me-am.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : \* sémitam meam, et funiculum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti : \* quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia novíssima, et antiqua : \* tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : \* confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? \* et quo a faciè tua fugiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es : \* si descéndero in inférnum, ades.

Si sumpsero pennas meas dilúculo, \* et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : \* et tenébit me dextera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : \* et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : \* sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : \* suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : \* mirabilia ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occulto : \* et substántia mea in inferioribus terræ.